

BX1749  
B4  
v.4  
t.2

SÆCULUM XII. ANNUS 1153.

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CLXXXV<sup>BIS</sup> CONTINENTUR.

S. BERNARDUS, CLARÆ-VALLENSIS ABBAS.

OPERUM TOM. VI. — <i>Aliena, et variorum de S. Bernardi vita et rebus gestis elucubrationes</i> . . .	Richardi monachi de Grandi-Silva Carmen de laude Claræ-Vallis et de religiosa ibidem disciplina. . . 1563
Addimenta libris de Vita et Rebus gestis S. Bernardi, quibus sacri Ordinis Cisterciensis exordia, Genus et Gloria posthuma S. Bernardi, Claræ-Vallenses Cisterciensesque antiquitates illustrantur . . . . .	993
Exordium magnum Ordinis Cisterciensis. . . . .	993
S. Bernardi genus illustre assertum . . . . .	1199
Odonis de Diogilo, de Ludovici VII, Francorum, regis, cogn. Junioris, profectio in Orientem : opus septem libellis distinctum. . . . .	1203
Chronicon Claræ Vallense ab. ann. Chr. 1147 usque ad ann. 1192 perductum, auct. anonymo Claræ-Vallensi monacho . . . . .	1247
Illustrium aliquot virorum Epitaphia . . . . .	1251
Vita S. Petri Prioris Juliensis puellarum Monasterii, et monachi Molismensis . . . . .	1257
Herberti, Turrium Sardinæ archiep., de Miraculis libri tres. . . . .	1273
Diatriba de illustri genere S. Bernardi, cum probationibus illustrationibusque eorum quæ asseruntur . . . . .	1383
S. Bernardi Gloria posthuma amplificata . . . . .	1343
S. Bernardus Doctoris titulo decoratus. . . . .	1343
Monumenta sacra Claræ-Vallensis abbatiae, et Epitaphia sanctorum et virorum illustrium qui ibidem sepulti sunt. . . . .	1349
	Richardi monachi de Grandi-Silva Carmen de laude Claræ-Vallis et de religiosa ibidem disciplina. . . 1563
	Iter Cisterciense F.-J. Meglinger, rel. sacer. monast. B. Mariæ de Maris Stella, vulg. <i>Wettingen</i> , ann. 1667. . . . . 1563
	<i>Description des Tombeaux et Sépultures qui existaient autrefois dans l'abbaye de Cîteaux</i> . . . 1621
	<i>Note sur Fontaine-Lez-Dijon, patrie de saint Bernard; sur le prieuré des Feuillans, établi autrefois dans le château de son père, et sur la chambre où il était né, devenue le sanctuaire de l'église des Feuillans.</i> . . . . . 1633
	<i>Lettre à M. le comte de Montalembert sur les Reliques de saint Bernard et de saint Malachie, et sur le premier emplacement de Clairvaux, par Ph. Guignard, bibliothécaire de la ville de Dijon.</i> . . . . . 1661
	<i>Documents sur un voyage de saint Bernard en Flandres, et sur le culte de Notre-Dame-d'Afflighem, recueillis par le R. P. Dom Pitra, de l'Ordre de Saint-Benoît</i> . . . . . 1797
	<i>Études sur l'histoire du XIII<sup>e</sup> siècle. — Recherches sur la part que l'Ordre de Cîteaux et le comte de Flandres prirent à la lutte de Boniface VIII et de Philippe le Bel par M. Kervyn de Lettenhove</i> 1833
	Diplomata duo. . . . . 1919
	Indices Rerum. . . . . 1921



FONDO EMETERIO VALVERDE Y TELLEZ

VARIA

LIBRIS DE VITA ET REBUS GESTIS S. BERNARDI

ADDITAMENTA

QUIBUS

SACRI ORDINIS CISTERCIENSIS

EXORDIA

GENUS ET GLORIA POSTHUMA

SANCTI BERNARDI

CLARÆVALLENSES CISTERCIENSESQUE ANTIQUITATES

ILLUSTRANTUR

EXORDIUM MAGNUM

ORDINIS CISTERCIENSIS.

De antiquitate et maxima hujus libri auctoritate hæc F. Chrysostomus HENRIQUEZ in *Menologio ordinis Cisterciensis*, Appar. c. iv.

Omniun nostri ordinis historiarum quasi lapis fundamenti, et scriptum maxime authenticum, est liber ille, quem *Exordium ordinis Cisterciensis* vocamus. Hujus enim venerandam antiquitatem suspicimus non solum nos Cisterciensis familie alumni, sed et classici quique auctores illum magno in pretio habent: ubique enim antiquitatum ecclesiasticarum periti in eo reperiunt præclara testimonia, quibus opiniones et historias stabiliant et confirmant. Quantum ad me, quotiescunque hunc librum evolvere, non possum satis pietatem, styli gravitatem, sententiarum pondus, et mirandos eventus, qui ibidem referuntur, non mirari: idque ausim dicere, hunc in suo genere esse ex majoribus et pretiosioribus thesauris quo gaudet Ecclesia, talemque a fidelibus habendum.

Hujus libri auctor, seu verius collector, veterum Patrum imitatus exemplum et modestiam, nomen suum suppressit, et quidquid scribit potius aliorum diligentie et utili labori tribuit, ut primi libri cap. 2. disertis verbis fatetur. *Operæ pretium reor, generationibus futuris describere, qualiter Cisterciensis Ordo sumpsit exordium, quamque copiosa benedictione gratiæ Dei a principio sui profusus sit, sicut partim per litterarum monumenta tradiderunt nobis viri sancti, qui ab initio sacre hujus Religionis auctores exstiterunt, partim vero majorum relatione didicimus: quatenus hi, quos in sæculis superventuris divina gratia ad ordinem nostrum vocare dignabitur, si hanc nostræ parvitatatis paginam, quam ad ipsorum consolationem elaboravimus, legere dignum duxerint, considerantes quam nobili regum mamilla lactati sunt, erubescant filii degeneres inveniri, etc.* Unde liquet, auctoris dicti libri nobis expressum non esse; constare tamen ipsum, quicumque ille fuerit, archiepiscopi Herberti, Joannis Prioris, et Gosvini monachi scriptis adjutum fuisse, licet eorum nomina ab ipso non exprimentur, sed universim loquatur, ut libro vi, cap. 10, ait: *Ea quæ a studiosis sparsim exarata recepimus, ad manifestiorem rerum notitiam, majoremque legentium utilitatem in unum collegimus.*

Et quantumlibet ejus nobis nomen lateat, hoc saltem liquet, Clara-Vallensem fuisse monachum, ut ipse testatur his verbis lib. i, cap. 2: *Si quem vero movet, quod Clara-Vallensium tantum, et non etiam*

Cisterciensium seniorum mentionem fecimus, noverit, nos, ut Ecclesiae Claræ-Vallis alumnos, nostrorum seniorum sacra studia familiariter et efficacius investigare potuisse. Nec ea quæ de paucorum sincera conversatione, seu felici consummatione ad absolutionem sponsonis nostræ descripsimus, innumerabilium servorum Dei, qui tam in Cistercio quam in universitate sacri ordinis spiritales agones viriliter desudarunt, præjudicare sanctitati. Et licet sancti Patris Bernardi discipulus non fuerit, tamen certum, illum aliquos ejus filios spirituales novisse, et illis familiariter usum fuisse, quorum relatione scripsit ea quæ de sanctorum gestis et vitis habet. Loquens enim de beato Raynaldo, lib. II, cap. 13, ait: *Respondens autem unus ex eis, vir religiosus, quondam Abbas Fusniaci, qui secretorum famuli Dei* (Bernardi scilicet) *magis conscius erat, et cujus etiam relata ipsa cognovimus.* Familiariter etiam conversatus et cum beato Gerardo abbate Longi-Pontis, ejusdem Bernardi discipulo, ut legitur lib. II, cap. 10: *Hæc autem significavit nobis D. Gerardus abbas Longi-Pontis, qui unus ex senioribus Claræ-Vallis, dicta et facta sancti Patris studiose rimari satagebat.* Additque sub finem lib. VI, cap. 10: *Vidimus etiam ibi ex discipulis sancti Bernardi seniores morum gravitate, religionis integritate, prudentia et simplicitate reverendos.* Auream ætatem vidit, qua tanta in ordine perfectio, et poterat uti, et usus est tot sanctorum Patrum familiaritate et aspectu, qui primævum illum Ordinis nostri vigorem et rigorem, quo fuit institutus a primis fundatoribus, exacte observabant. Quod idem auctor ultimo operis sui libro testatur, dum inquit: *Ceterum, postquam clara illa Vallis primum et clarissimum abbatem suum post unum [leg.: octo. — ut optime correxit Magister D. F. Ignatius de Ybero, abbas perpetuus Fiteriensis in prima editione Magni Exordii: Pampilonæ, 1631, in-fº EDIT. NOTA] et triginta annos ad superni Imperatoris transmisit palatium, ut jam tanto esset potentior ad subveniendum, quanto summæ Majestatis faciem vicinius contempletur, per sanctos successores ejus, de quorum virtutibus supernis aliquid comprehendimus, sanctæ Religionis vigor conservatus in eadem Domo illibatus duravit: sicut in temporibus venerabilis ac Deo digni viri D. Petri, ejusque successoris domini Warneri, postea Lingonensis episcopi, divina favente gratia nobis probare concessum est.* Unde patet quo tempore in Clara-Valle vixerit. Denique dico, non plures, sed unum fuisse hujus libri collectorem et scriptorem, eundemque opus hoc inchoasse et perfecisse, et ipsemet diligenter ait. Postquam enim lib. I, cap. 2, dixisset, *Operæ pretium reor generationibus futuris diligentius describere, etc.*, addit totius operis cap. ultimo: *Sicut in exordio hujus voluminis præfati sumus, etc.* Quo se ad id quod operis principio se scripturum promiserat refert, et ad ordinem quem servare proposuerat.

## EXORDIUM MAGNUM ORDINIS CISTERCIENSIS

(Biblioth. PP. Cisterciensium F. Bertr. TISSIER. Bonofonte, 1660, in-fol. tom. I, p. 13.)

In codice manuscripto cœnobii Fusniacensis quo utor, habetur hic titulus, seu inscriptio operis sequentis: *Incipit narratio de initio Cisterciensis Ordinis qualiter, Patres nostri de Molismensi cœnobio, propter puritatem ordinis secundum tenorem Regulæ sancti Benedicti recuperandam egressi, fecundam Cisterciensem Ecclesiam fundaverunt, quæ est mater omnium nostrum: quoniam ex ipsa tanquam de fonte purissimo rivuli cunctarum Ecclesiarum Ordinis nostri derivati sunt: et de nonnullis reverendis, atque in omni religione conspicuis personis, quæ in Cistercio et Claravalle claruerunt.* Quia tamen hic liber Exordium magnum Ordinis Cisterciensis solet appellari, sicut et præcedens ex opposito parvum exordium; ideo titulum prædictum prælegi. Hujus magni Exordii auctorem ignorari, ait Angelus Manrique in Annalibus. Verum Fusniacensis codex hæc habet verba: *Istum librum composuit quidam abbas, Conradus nomine, Everbacensis cœnobii, qui fuit monachus Claravallis.* Et monasticum quidem in Claravalle se professum, non obscure indicat in fine hujus operis, ubi temporibus B. Petri et D. Garnerii postea Lingonensis episcopi, quorum ille octavus, hic nonus Claravallis abbas exstitit, se Claravalle disciplinis claustralibus eruditum fuisse, asserit, videlicet circa annum 1180. Est autem Eberbac, cui Conradus iste dicitur præfuisse, monasterium de linea Claravallis in Moguntina diocesi, cujus ipse auctor, summa cum laude meminit in distinct. 5, cap. 17, et alibi: ubi tamen non indicat ejusdem loci abbatem esse. Sed quisquis sit libri auctor, hunc lectu dignissimum et utilissimum, et in Bibliothecæ Patrum nostrorum capite locandum, judicavi. Notandum superest periisse unum aut etiam plures hujus libri quaterniones, ante cap. 15, qui de B. Alberico agebant, de quo jam nil omnino dicitur. Unde cum, cap. 37, dicatur corpus S. Stephani juxta prædecessoris sui scilicet Alberici, tumulum fuisse conditum, constat olim locum sepulturæ Alberici in isto libro declaratum fuisse; alioqui ignotum per ignotum declararetur. Vide Manrique., tom. I, Annal., an. 1106.

## DISTINCTIO PRIMA.

### CAPUT PRIMUM.

*Quod Dominus Jesus in doctrina sua formam perfectæ penitentiae tradiderit.*

Deus æternus æterni Dei Filius, Dominus noster Jesus Christus, Creator omnium rerum, Redemptor omnium fidelium, dum in diebus humilitatis suæ salutem in medio terræ operaretur, salutarem per-

fectæ penitentiae viam mundo prædicavit dicens: *Pœnitentiam agite; appropinquabit enim regnum cœlorum* (Matth. IV). Gratias inestimabili misericordie Dei, qui sereniori tandem oculo respiciens miserum genus filiorum Adam, distractionem legis, quæ oculum pro oculo, dentem pro dente, omnimodamque talionem pro omni excessu immisericorditer reddebat, per incarnatam Verbi sui dulcedi-

nem temperavit, dicens: *Pœnitentiam agite.* Ne vero imbecilles homines ad verbum penitendi, id est pœnam tenendi, terrerentur, mox verbo consolatorio, verbo omni acceptione digno, præmissæ sententiæ severitatem dulcorare curavit, subjungens: *Appropinquabit enim regnum cœlorum.* Quis enim sanum sapiens, licet infirmus, licet delicatus sit, non patienter, imo gratanter, præsentis pœnæ momentaneum pondus sustineat, non solum ut cœlestis regni nunquam finiendi particeps fiat? Verum quia beatus baptista et præcursor Domini Joannes in ordine præcursoris suæ pœnitentiam prædicans, dignos ejusdem pœnitentiæ fructus agi censuit (Matth. III); quærendum summopere nobis est quæ sit formula perfectæ penitentiae, quæ ad dignos promerendum fructus sufficiens esse videatur. Sed ubi formulam illam dignius quærimus, quam in ipsius magistrorum magistri Domini nostri Jesu Christi dictis et factis? Cum enim quidam possessione habens multas a Domino quæsisset quid faciendam vitam æternam obtineret, et Dominus mandata legis ei proposuisset, illeque se omnia a juventute sua servare dixisset, et subjunxit Dominus. *Adhuc unum tibi deest. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni sequere me; et habebis thesaurus in cœlo* (Matth. XIX). Ille vero qui non se, sed sua, et illa non tota, sed ex parte, et parte satis modica, videlicet decimas, primitias cæterasque legales oblationes, offerre consueverat, et hoc magnum aliquid esse putabat, audiens verbum consummatæ justitiæ resiliit, et trahens cor in terram abiit tristis, quia nimirum testante Veritate, qui divitias quas habent affectuose diligunt, difficile salvantur (ibid.). O quam aliter affectus erat beatus Petrus! O quam largo cœlestis gratiæ rore perfusus ab æstu mundanæ cupiditatis refrigerat, qui de se suisque condiscipulis tam humiliter quam fiducialiter Domino dicebat: *Ecce nos reliquimus omnia, et secutus sum te* (ibid.). Hic plane formam perfectæ penitentiae reperimus, quam Salvator consilium salutis quærenti suasit, discipulis etiam sequentibus se tradidit, licet legamus nonnullos in divitiis et in omni gloria mundi continenter et humiliter vixisse. Sed quia privilegia paucorum communem legem non faciunt, tutius multo quicumque celsitudinem perfectionis sectari conantur, obaudiunt vocem Domini in Evangelio dicentis. *Si quis non abrenuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (Luc. IV).

### CAPUT II.

*Quod a primitiva Ecclesia communis vite traditio cæperit, et quod hinc monastica religionis institutio principium sumpsit* (1).

Enimvero decebat ut summi Patris Sapientia, quæ perfectæ justitiæ normam tradere venerat, hanc in ipso statim nascentis Ecclesie pusillo grege signanter imprimeret, quatenus universi qui eorum exemplo provocati viam arduam et angustam incedere proponerent, tantæ majestatis informati magisterio, tantorum etiam Patrum exemplo roborati, viam Domini dilatato corde currerent, dicentes cum Psalmista Domino: *Propter verba labiorum tuorum ego custodi vias duras* (Psal. XVI), sciens quoniam centuplum quod promisisti reddes, et insuper vitam æternam adjicies. Passo vero in carne Domino postquam a mortuis resurrexit et in cœlum ascendit, discipulis, etiam Spiritum sanctum quem promiserat misit, multiplicatis jam credentium turbis, clarius ejusdem spiritualis vitæ, quam perfectam penitentiam dicimus, nitor elucere cœpit, cum sicut

(1) Hieronymus, epist. ad Paulin., monasticæ vitæ originem refert ad Eliam, Eliseum, et filios pro-

Lucas testatur, *multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum suum aliquid esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Possessores etiam agrorum et domorum vendebant quæ possidebant, ponentes pretia ante pedes apostolorum (Act. IV). Quantam vero reverentiam in cordibus non credentium sublimis illa conversatio generaret, testatur idem beatus Lucas, cum dicit quia *cæterorum nemo audebat se conjungere illis, sed magnificabat eos populus* (Act. V). Nec solum Jerosolymis hæc schola primitivæ Ecclesie cœlestibus instituebatur disciplinis verum etiam Antiochiæ sub magistris Paulo et Barnaba gloriosissime floruit: ibique discipuli primo appellati sunt Christiani. Philo quoque disertissimus Judæorum in libro quem *theorica Vita* prætitulavit, de ferventissimis eorum in Domino studiis multa conscripsit. Monachorum etiam cœnobarumque nomen, vitam et institutionem ab eis exordium sumpsisse perspicuum est. Cæterum disseminato verbo Dei per universam regionem, cum jam in omnem terram exisset sonus prædicationis apostolorum, necesse erat ut arca sanctæ Ecclesie, quæ perfectissimæ hujus religionis typo in superioribus suis angusta unitatis cubitum perficiebat, dilatato charitatis sinu in inferioribus suis, pusillanimes et ad perfectionis celsitudinem minus idoneos colligeret, quatenus omnipotentis Dei misericordia non solum homines, sed et ipsa quoque jumenta, id est terrenæ substantiæ pulvere se ex infirmitate foedantes, dignantissime salvaret. Hinc jam nobilis illa respublica, quam Dominus Jesus Christus instituerat et Spiritus sanctus roborarat, in qua cum nullus quidquam possideret, nemo tamen egens erat inter illos, cœpit ad privatas res distrahi, cœperuntque Christiani substantiis licenter uti, sic tamen, ut terrena cœlestibus non præponerent, sed temporalia bene dispensando, facilius ad cœlestia pervenirent.

### CAPUT III.

*Quod monachus ordo per beatum Antonium, cæterosque sanctos patres roboratus, excellenter claruit*

Licet vero imperfectorum multitudini condescendens mater Ecclesia, remissioris vitæ laxaverit habenas, tamen ab ipso nascentis Ecclesie principio usque ad hæc nostra tempora nunquam defuerunt viri virtutum, qui ferventissimo divini amoris igne flagrantes, remissioris quoque vitæ blandimenta respuentes, communis vitæ rectitudinem, quæ sola perfectæ pœnitentiæ, quam Dominus Jesus prædicavit, stabile fundamentum est, indefesso pietatis studio tenuerunt; et posteris suis tenendam multiplicibus sanctæ conversationis regulis et exemplis tradiderunt. Inter quos primi vel præcipui exstiterunt Antonius, Pachomius, Basilus, quorum prior Antonius, non atramento neque littera, sed spiritu Dei vivi scriptam legem charitatis in corde suo demonstrans, perfectissimæ conversationis suæ perfectissimos discipulos reliquit: quales fuerunt Macharius, Paphnutius, Pambo Isidorus, alique quamplures, qui monasteriorum per Ægyptum et Thebaidem Patres effecti, catervasque innumerabilium monachorum per tramitem perfectæ pœnitentiæ ducentes, de mundo ejusque principe diabolo, cum suis omnibus gloriosissime triumpharunt. Pachomius vero, cum factus esset apostolica gratia insignis, scripsit monachorum Regulas, quas Angelo dictante didicerat: ad quarum institutionem infinitam multitudinem vivorum lapidum poliens, muris cœlestis Jerusalem reedificandis convexit. Beatus etiam Basilus Cæsariensis episcopus, Eccle-

phetarum. Ex Philone constat hoc vitæ genus in tota Ægypto et præcipue circa Alexandriam floruisse.

